

B.M. II, 135.

6. 35, 12.

II K
1604

DISPUTATIO INAUGURALIS
PUBLICO JURIDICA
EXHIBENS
**POSITIONES CONTRO-
VERSAS**
DE
**RESERVATIS IMPERA-
TORIS**
QUAM
DIVINA FAVENTE CLEMENTIA
EX INDULTU MAGNIFICI ICTORUM ORDINIS
SUB PRÆSIDIO ALTISSIMI
IN
ALMA ET PERANTQUA ELECTORALI
UNIVERSITATE ERFORDIENS
PRO LICENTIA
SUMMOS IN UTROQUE JURE HONORES AC PRIVILEGIA
DOCTORALIA
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDI
IN AUDITORIO MAJORI
HORIS CONSUETIS
DIE XXX MAY ANNO M DCC XXI.
PUBLICÆ ERUDITORUM DISQUISITIONI SUBMITTIT.
JOANNES PHILIPPUS STRAHL
ERFFURTENSIS AUCTOR
ET DEFENDENS.

ERFORDIÆ,
Typis JOAN. MICH. FUNCKII, ACAD. Typegr. Adjuncti.

L.V.C.XI







POSITIO I.

MAjestas ex Regalibus eorumque usu cognoscitur, suntque haec eidem ita connexa, ut impossibile sit, Majestateam sine iis existere posse.

II.

Majestas cum sit indivisibilis, non possunt Regalia communicari, per hoc enim efficeretur, ut inferior, cui communicarentur, æqualis fieret suo superiori.

III.

Concedi tamen possunt, concessio enim feudalis, qua Principes Regalia & territoria feudi jure habent, non est plena translatio, sed concedens rem in feudum, sibi nihilominus retinet jus & potestatem superiorum.

IV.

Capitulatio itaque non derogat Imperatoris Majestati, quia per eam tantum conceduntur Regalia, non vero communicauntur.

V.

Regalia, quæ Imperator sibi soli reservat, vocantur Reservata, ad quorum substantiam tantum requiritur, ut ratione modi exercendi illa solus habeat, id est, ut ex pacto ad Statuum Imperii consensum, eorumque præscitum in illis exercendis neutram obligetur.

VI.

Non vero requiritur, ut etiam ratione ipsius exercitii (id est, ut nulli alii præter Imperatorem competant) ea solus & unus habeat Imperator, hinc non desinunt esse Reservata, licet & alii Principes Imperii illa exerceant.

A 2

VII. Bene

VII.

Bene describuntur Reservata, quod sunt jura, quæ a solo Imperatoris arbitrio dependent, & sine Electorum vel Statuum consensu, juxta leges tamen Imperii exercentur.

VIII.

Ab objecto circa quod versantur, Reservata commodè dividuntur in Ecclesiastica & Politica.

IX.

Imperator nondum coronatus jus Primarum Precium exercere potest, coronatio enim intuitu potestatis nihil speciale ei tribuit, sed ad splendoreni magis servit.

X.

Jus Primarum Precium in absentiâ Imperatoris competit Regi Romanorum.

XI.

Gratia facta preciæ durat etiam post mortem Imperatoris, ita ut Successor non possit eam revocare, licet Preciæ beneficium nondum acquisiverit.

XII.

Preciæ si omiserit acceptare primam præbendam vacantem, nihilominus secundò vel tertio vacante acceptare poterit.

XIII.

Primæ preces non tantum habent locum in mensibus Papalibus, sed & Ordinariorum Collatorum.

XIV.

Jus Primaru[m] preciu[m] exercet Imperator in terris Protestantium, habitu tamen in præsentando subjecto religionis respectu.

XV.

Jus absolvendi a juramento ad effectum agendi non competit tantum potestati Ecclesiastica, sed & seculari, non enim est mere spirituale.

XVI. Jurans

¤ (5) ¤

XVI.

Jurans de solvendo usuras illicitas certo die, licet non solvat, idemque perjurus fiat, potest relaxationem a juramento petere, ita, ut non teneatur solvere usuras.

XVII.

Ad relaxationem juramenti non requiritur partis adversae Cittatio, si juramenti iniquitas notoria sit, sed potest haec fieri per extrajudiciale Decretum,

XVIII.

Relaxatio a juramento potest etiam peti, quando quis juravit, se super re jurata non velle petere relaxatiouem juramenti, subest enim periculum injustae detentionis rei alienae.

XIX.

Non potest peti relaxatio a juramento adhuc praestando, cum non entis nullae sint qualitates.

XX.

Minor, qui veniam aetatis impetravit, si bona sua non idonee administret, adversus ipsam veniam aetatis impetrationem restitui potest in integrum.

XXI.

Contra actus tamen medio tempore, quo veniam aetatis habuit, gestos non restituitur in integrum, ne contrahentes Principali authoritate circumscribantur.

XXII.

Imperator in concedendo veniam aetatis non est adstrictus ad numerum annorum jure Civili definitorum.

XXIII.

Legitimatus ab Imperatore in toto Imperio habendus est pro legitimo, qui vero a Statu Imperii legitimatur, in illius tantum territorio pro tali habetur.

XXIV.

Legitimatio cum sit actus voluntariae jurisdictionis, exten-

A 3

dit-

dit se quidem etiam extra territorium, sed non nisi in personas,
quæ sunt de territorio legitimantis.

XXV.

Legitimatus per Rescriptum Imperatoris non succedit in bo-
nis feudalibus. Probatur per Cap. Naturales. 2. F. 26.

XXVI.

Legitimatus per Rescriptum deficientibus liberis legitimis ad
successionem feudi, non potest agnatis præjudicare.

XXVII.

Declaratus infamis publicâ Imperii lege non nisi a solo Impe-
ratore famæ restitui potest.

XXVIII.

Famæ restitutus ex gratiâ non alias recipit bona sua fisco in-
terim addicta, quâm si exprestè hoc in Diplomate contineatur.

XXIX.

Famæ verò restitutus ex iustitiâ indistincte omnia bona & pri-
legia recipit, innocentia enim ei obesse non debet.

XXX.

Feriis generalibus ab Imperatore iudicatis non potest renun-
ciari a partibus, nisi concernant tantum favorem partium.

XXXI.

Moratoria seu Quinquennales impetratae ab Imperatore non
solum debitori Principali, sed & ejus fidejussori, modò is ante
earum impetrationem datus fuerit, profunt.

XXXII.

Non solum Mercatores bonis lapsi sed & alii eitra negotiati-
onem viventes possunt petere literas moratorias, ratio enim Impe-
ratorem ad eas concedendas movens generalis est.

XXXIII.

Durantibus moratoriis non currunt usuræ, ratio est, quia usuræ
debentur ex mora, debitor autem moratoriis munitus non dicitur
esse in morâ.

XXXIV.

(7)

XXXIV.

Ab Imperatore cum sit summus in Imperio iudex, nullumque in terris recognoscat superiorem, non procedit appellatio ad Pontificem.

XXXV.

Nec potest appellari ab Imperatore male informato ad melius informandum. Absurdum enim est dicere: Imperatorem inconsulte sententiam suam protalisse.

XXXVI.

In causis, in quibus Judicium Camerale & Aulicum concurrent, tem habet jurisdictionem, locus est preventioni, ita ut causae in Aulico vg. cooptae ad Judicium Camerale non possint avocari, & contra-

XXXVII.

Imperator potest Nundinas Civitati ex merita gratia a se concessas iterum admere, privilegia enim pura revocantur contraria voluntate Principis, secus si in remunerationem eas concesserit.

XXXVIII.

Jus dandæ Civitatis competit soli Imperatori, ex ejus vero concessione habent hoc etiam Status Imperii.

XXXIX.

Status Imperii, quia jus dandæ Civitatis titulo concessionis habent, non possunt se fundare in prescriptione, eausam enim possessio nis nemo sibi mutare potest.

XL.

Universitatibus utrum competit merum Imperium sive jus gladii, Problema esto.

XLI.

Vicarii Imperii possunt confirmare Academias. Probatur arg^o T it. 5. A. B. ubi solum feuda Principum, & ea que Fahnenlehen vulgariter appellantur, excepta sunt, ideoque exceptio debet firmare regulam in casibus non exceptis.

XLII.

XLI.

Imperator sine consensu Statuum non potest aliquem creare Principem, qui simul sit Status Imperii, titulum tamen solus conferre potest.

XLII.

Jus proponendi in Comitiis competit etiam soli Imperatori, quod tamen exercet per Commissarium.

XLIV.

Imperatori competit præ aliis Statibus jus Postarum, neque enim id ullâ Imperii lege iis appareat esse concessum.

XLV.

Imperator lites ratione vestigalium inter Electores ortas & in Camera pendentes ad se avocare potest.

XLVI.

Principes Imperii litigantes inter se possunt in Arbitros compromittere, modo hoc non fiat animo se penitus subtrahendi iudicio Imperatoris.

XLVII.

Si lis oriatur inter Status Imperii ratione præcedentia, ille qui se fundat in antiquâ possessione, erit præferendus.

XLVIII.

Imperator si concedat privilegia, vg. indulgendo Principi immunitatem a collectis Turcicis, ea solum in præjudicium sui, non verò Statuum tendere debent.

XLIX.

Electores sacerdotes non investiuntur de Archi Officiis Imperii ab Episcopo Bambergensi, bene tamen de Officiis, quæ vulgo vocantur Ober Aembter.

L.

Imperator sine consensu Electorum vacante Electoratum sacerdotalem alteri habitu tamen prius familiarè respectu conferre valet.



Ad

**AD NOBILEM ET CLARISSIMUM DOMINUM
JOANNEM PHILIPPUM STRAHL.**

Pro summis in utroque Jure honoribus Disputaturum.

Constanti reliquos quod Sedulitate præfes,
Gaudebas rigidam dum coluisse Themini:
Testis erit rectum Patrium, Museaque testes,
Quæsolitus totos saepe latere dies.
Et Socii, quorum inter eras confortia rarus,
Nesineras levibus tempus abire Jocis,
Quæque petivisti testes collegia, testes
Doctorum coetus, quos iterare soles.
Tu quoque Teutonidum Rhenus regnator aquarum,
Testis eris: nam tu plurima nosse potes:
Vidisti Mogonæ certantem in moenibus urbis,
Cum sua Doctrinæ publica signa daret,
Et mihi Juridicus, justissima turba Senatus,
Ejusdem studii conscientia, testis erit.
Denique quæ superest tibi, disceptatio præsens
Testis postremus, sed manifestus erit.
Hinc tibi contendit geminatos edere plausus
Ex sacro quæ te Dextera fonte tulit.

Ita aggratulari voluit Domino Patrino & cognato suo.

CASPARUS PHILIPPUS BAUR.

AD ORNATISSIMUM DOMINUM DOCTORANDUM, AN-
CUM SIIUM SPECIALITER COLENDUM.

Discere iustitiam, primùmque timere Jehovam,
Hæc sola est radix omnis habenda boni.
Nosse deum (dixere patres) sapientia vera est,
Quem penes est pietas, omnia dona fluunt.

B

Justi-

Justitia una chorū virtutum amplectitur omnem,
Quēm penes est virtus, affluit omne bonum.
Virtus ex RADIQ patris fulgentior in te
Virtutis RADIA T, iustitiaeque sacrae.
Sic ornata tui præstria Nomina patris,
Sic Matriæ, atque Aviæ, dulce levamen eris.
Perge ita: Sic pulchri RADIARIS solis adinstar,
En præceptoris dulce Minerval eris.
Perge ita: Sic RADIA, dignos sperabis honores,
Obvenient studiis digna brabea tuis.

Ita accinebat amico suo singulari Musa volante
animo tamen volente pro more & amore

JOANNES ADAMUS SCHWABENHAUSEN,
Parochus Hochhemii, & in castro S. Cyriaci propè
Erfurtum.

AD CLARISSMUM DOMINUM DOCTORANDUM.

P ublica quid pensas, Solus dum s̄ape litescis?
A primis annis testis is esse quo.
Publica sed rectò pensant levitare parati,
Et latebras servat Publica quisquās amat,
Sic ergo latitas, ut tandem lumine multo
Splendescant radii. Nominē rēque mīca.

Ita calamo' ac animo condiscipulo suo quondam
honoratissimo gratulabundus accinit.

JOANNES JACOBUS MOLITORIS.
J. U. S.

I Nvia mulia via preruptis horrida petris
Trivisti, contam per loca flexa sinu
Tandem rupisti, dubios subiisse meatus
Te juvat, en meritum porrigit Alma Thēmis:

Suscipe (gratiamur) tantorum digna laborum
 Munera, plus gratas tedia summa vices
 Alternent, recreantque animum, re publica quando
 Cura uocat, veniant ut tibi juris opes.

Ita aggratulantur fratri sue
 J. E. F. } STRAHL.
 C. H. J. }



Deterg frontem, sufficiat modò
 Sudasse, prefiat scandere pulpita,
 Labore multo comitata
 Alma Themis documenta poscit:
 Scivisse nulli profuit, abdita
 Nec te juvarent, nî reliqui sciant
 Te scire, non ergo morere
 Pro meritis decorande lauro,
 Quam germinantem ex Inferioribus
 Præpœta propter munera Pallados
 Jam jam spôsponderunt Camenæ:
 Ultima quam simulata primis:
 Quid dico? laurus non decus ultimum,
 Sed fama crescat prætereunitibus
 Seris in Annis, DOCTORANDO
 Usque novi veniant honores.

Hicce applaudit
JOAN. GERARDUS SCHWAWENHAUSEN.
 J. U. S.

B 2

Phe-


*LAK
Thk
1604*


X 36d 7550
VDIS

Phaebus sub undis Hesperiis prius
suum lavatum deproperat caput,
Tum clarus lucentiusque
Spargat ab ore jubar resurgens.
Sic occidentis nobilis amulus
Phœbifueristi, quando remotius
Ad Rhenum abbine te condidisti,
Perquæ caput latici fluentis
Sudoris (ipsum cum Studiis Themis
Expressit) altum mergere cesseras:
Demum juvat luxisse clarum
Inquæ diem rediisse plenum:
Jam differendo das radios tuæ
Lucem quæ sacra das sapientiae,
In calico Doctoꝝ creandus
Perpetuâ radiato fama!

Ita nobili & clariss: Dno D. Doctorando gra-
tulari voluit.

JOANNES HENRICUS WEINRICH
J. U. S.





ATIO INAUGURALIS
PUBLICO JURIDICA
EXHIBENS
DONES CONTRO-
VERSAS
DE
ATIS IMPERA-
TORIS
QUAM
FAVENTE CLEMENTIA
MAGNIFICI ICTORUM ORDINIS
UB PRÆSIDIO ALTISSIMI
IN
T PERANTQUA ELECTORALI
VERSITATE ERFORDIENSIS
D LICENTIA
POQUE JURE HONORES AC PRIVILEGIA
DOCTORALIA
ET LEGITIME CONSEQUENDI
AUDITORIO MAJORI
HORIS CONSUETIS
XX MAY ANNO M DCC XXI.
TORUM DISQUISITIONI SUBMITTIT.
PHILIPPUS STRAHL
FURTENSIS AUCTOR
ET DEFENDENS.

ERFORDIAE,
H. FUNCKII, ACAD. Typegr. Adjuncti.

B.I.G.